


F.K. 66.
6

Z e
1040



In nomine domini Amen
Hanc Universitatem
Lipsiensem
et hanc
Academiam
Lipsiensem
ad
funus
domini
Christophori
Scheffleri
Academici
solertis & fidelis
Horam
I. hodie
VIII. Decembris
1644.



R E C T O R
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
Ad Funus
D O M I N I
CHRISTOPHORI
SCHEFFLERI,

Acuarii Academici solertis & fidelis

Horam I. hodie VIII. Decembris. 1644.

efferendum

Cives suos

invitat.





Um causæ Mortis subitæ plures sint, nulla earum magis hominibus metuenda, quam quæ ab apoplexia est. Hanc enim fulmen dixerimus, non in Macrocosmo ex aëre projectum, quod corpora iacta in momento prosternit, sæpe ne vestigio quidem sui relicto, sed quod in Microcosmo, ipsum, in quo exortum est, & non animadversum prius, hominem repente exanimat. Nomen morbi ab origine græcum ἀπό τῆ ἀποπλήττειν, percussionem significat, quod eo correpti, veluti valido ictu in capite percussi, subito concidunt sine voce, sine sensu, sine motu. Idem Morbus voce Latina Sideratio vocatur, & eodem afflicti, siderati appellantur, quia veluti de coelo tacti essent, & maligno quodam sidere afflati, subito corruunt attoniti, & functionibus omnibus animalibus destituti, excepta respiratione, quæ difficulter, & cum stertore fit. Ob repentinam illam morbi invasionem & stupendam symptomatum vehementiam, qua maximam partem ægrotantes perimit, ipsi creditum est inesse Θεῶν aliquid, ut loquitur Hippocrates. Hinc Germanietiam solent dicere hoc morbo correptos, manu DEI tactos vel percussos. Causam sane hujus affectus veram, ut Jacobus Pancratius Bruno, Medicinæ Doctor & Professor Altorphius, & Reipublicæ Norimbergensis Medicus in Castello renovato ait adeo incertum est, è veterum & recentiorum monumentis determinare, ut, quo aliquis se velit deflectere, reperitur trabs in omnibus, sicut in proverbio dicitur. Nihilominus eidem maxime consentanea veritati, Villis & Sylvius, Medici incluti, ille apud Anglos, hic apud Belgas tradidisse videntur. Villis de Anima Brutorum, quæ hominis vitalis & sensitiva est, Parte II Pathologica cap. VIII duplicem Apoplexiam constituit, unam accidentalem, quæ sine prævia aliqua diathesi, aut procatarxi, a causâ subita, solitaria, & sæpe invincibili excitatur; alteram habitualem, quæ causam antecedentem, sive procatarxin præviam habens, propter varias occasiones, sive causas evidentes in actum deducitur. Prioris siderationis, nempe subitæ ac improvisæ, causam conjunctam & proximam dicit, aut magnam solutionem continui, alicubi intra, vel prope cerebri medullam, tum ex sanguine intra cerebrum extravasato, ibidemque, sive in grumos concrecente, sive loca affecta suggillante, tum ex apostemate sive abscessu disrupto, tum ex serosa colluvie, contingentem, propter quam poris & meatibus cerebri obstructis vel compressis, spirituum emanatio omnis supprimitur: aut ingentem ac sub-

bitaneam spirituum in cerebro profligationem, vel extinctionem, quam non raro efficiunt narcotica fortiora, & aquarum ardentium vini- que potus immodicus. Posterioris, scilicet habitualis apoplexiæ, cau- sam conjunctam facit materiam quandam, in cerebri ambitu prius aggestam & dispersam, demum in medullium ejus descendentem, ibidemq; Spiritus omnes adorientem, ac in ipso emanationis suæ fonte supprimentem, sive medullæ poros tantum inferciendo, sive Spiritus ipsos profligando, iisque narcosin infligendo, sive utroque modo simul. Hæc VVillisius. Sylvius quoque lib. II. Prax. Med. cap. XXI causas tres numerat, Spirituum animalium vel defectum, vel torporem & immo- bilitatem, vel conturbationem vehementem, easque singulas perspicue explicat. Sed Franciscus Bayle, Doctor Medicus Tolosæ, in tractatu de Apoplexia, rejectis quinque opinionibus, sententiam Hippocratis, quam se recte affectum putat, amplexus, melancholiam solam, subito sangui- nem & spiritus figendo, unicam proprie dictam Apoplexiæ causam as- ferit. Helmont in Tractatu de Lithiasi cap. IX. n. 52. seqq. arbitratrur A- poplexiam oriri in præcordiis ex liquore proxime assimilando, sed qui errore digestionis ob defectum Archei degenerat in venenum anody- num, in cerebro autem non nisi per deuteropathiam esse: & a magna apoplexia spiritum insitum, a minore influum obsideri vult in Jure Duumviratus num. 52. De quibus Medicorum magnorum dissensio- nibus, penes Nobilissimæ Artis peritos judicium esto. Nos perquam tri- sti & præcipitante fati genere prostrati præcipue de fragilitate vitæ & in- certitudine mortis commonefaciunt. Cum enim, post corruptionem a peccato inductam, ea conditione nati simus homines, ut nullo non tempore simus homines, id est mortales, non modo oportet, sed & necesse est, ita semper vitam instituire, ita res nostras ordinatas habere, ne unquam imparatos mors deprehendat & auferat. Non quidem beatitu- dinem post hanc vitam aut confert, aut impedit, sive quis rapim & ve- lut ejectus, an vero tarde & quasi eductus de vita exeat: utrum autem quis in Domino, aut secus moriatur, id est in quo omnis rei cardo ver- titur, quoque summa summarum redit. Namque errorem moriendo semel commissum non datur emendare. Arbor, uti caditur, ita cadit, prout moritur quispiam, bene illi erit aut male. Ideo quo fragilior nostra conditio est, eo major probitatis nobis incumbit necessitas. Sed rari ho- minum paulo familiarius seipos noverunt. Plerique vix nisi ægri & se- mimortui de morte serio cogitant. Antecedens omne tempus magna fere, sæpius & impia securitate transmittunt, nihil de fine suo solliciti, nihil de pietate. Cupiditatibus obsequuntur, sæculo indulgent, ac ita se gerunt, non qui morituri in horas singulas, sed qui in perpetuam, cer-

Ze 1040 14 x 3047293

ce longissimam aetatem victuri sunt. In qua sorte hominum salutis suae sordium non
 fuit Dominus Christophorus Schefflerus, Academiae nostrae Aëuarius solers & fidelis, sed
 inter eos Christianos, qui Dominum suum Iesum Christum, quandoque venerit, pa-
 rati expectant. Quam Viri pietatem multorum vocibus testatam, vita a nobis enarra-
 dae curriculum confirmabit. Natus est in hac urbe Anno c1o Ioc LIV. die 1. Decembr.
 Patre Nicolao, orto Gelenavii, Viro honesto, Cive sene huius civitatis & Fabro Lignario,
 Matre Anna, Martini Nackii Filia. Puer in Schola patria Nicolaitana, docentibus ling-
 uas & artes ingenuas, D. Friderico Rappolto, L. Joachimo Fellerio, M. Herrichio,
 M. Poltizio, M. Nathusio, M. Müllero bene profecit. Adultiorem Parentes propter
 facultatum suarum tenuitatem a studiorum cursu avocarunt officio alicui addicen-
 dum: Ipse vero rogavit permitti sibi, ut studia, quae valde amaret, contineretur, con-
 sistis divino auxilio excitaturo homines benevolos, qui Parentum loco essent. Interve-
 nit itaque commode Dn. Joachim. Andreas Corvinus, Aëuarium Academiae, qui ad se ju-
 venem recepit an. c1o Ioc LXVIII. Fratri M. Oroni Henrico Corvino discipulini philoso-
 phicis imbuendum commisit, & postea ipse in Jure informavit eo successu, ut an.
 c1o Ioc LXXXV. Notarius Publicus Caesareus crearetur, & in diversis judiciis praxin exer-
 cere inciperet. Notam ergo habens Corvinus dexteritatem ejus, subinde egrotanti sibi
 in officio adjungi ab Academia petiit & imperavit. An. MDC LXXXVII. Actuarius Prae-
 positi Magni in pagis tribus veteribus constitutus est. In quibus functionibus cum se
 gnayum & industriam exhiberent, mortuo Corvino Anno MDCLXXXIII. ex decreto
 Professorum successit, suasque res ita egit, ut diligentia, alacritas, dexteritas, fidesque
 ejus omnibus placeret. Anno MDCLXXXV. d. XXV. Augusti matrimonium inivit cum vi-
 dua antecessoris sui defuncti Theodora, Theophili Böttcheri, Pastoris in Ein-
 fiedel, Dittersdorff & Erffenschlag Filia, permotus tum virtutibus ejus foemineis, tum
 memoria beneficiorum a marito acceptorum, quae viduae orphanisque liberis quinque,
 non alia ratione meliore se posse reddere existimavit. Concors & suave fuit hoc con-
 jugium, sed breve & spatio unius anni triste magis quam laetum. Nam Anni
 MDCLXXXVI. d. XX. Januarii Patrem amisit, d. XI. Junii filiam Theodoram Sophiam
 natam suscepit, sed d. XVIII. Junii conjugem dilectissimam exulit. Ab hac deinde a-
 morem suum in oibos liberos transtulit, ipsos educavit, & quae ad eorum prosperita-
 tem pertinuerunt, curavit. An. MDCLXXXVIII. d. XXVI. Novembr. secundis nuptiis,
 Dominam Sophiam, natam Dehnam, Dn. M. Gottfriedi Laurentii, Pastoris in Leb-
 schwitz filiam sibi junxit uxorem, a qua duo amoris conjugalis pignora nata habuit,
 Christophorum Leonhardum, & Joachimum Ernestum. Prior tamen jam dudum diem
 suum obiit, posterior spectator & comes est funeris paterni maestissimus. In vita sua
 officia hominis Christiani ita Nolter egit, ut nemo non ipsam haberet in numero eor-
 um, qui per veram & seriam poenitentiam, vitaeque novitatem virtute Spiritus S. am-
 bulare, & Christum Redemptorem suum, cum omnibus suis beneficiis apprehendere,
 inque hac firma fiducia, usque ad extremum vitae halitum perseverare, dant operam se-
 dulo & diligenter. Fuit ergo talis, qualem se esse in sine signati manu propria vi-
 tae curriculi devota mente DEUM precatus legitur. Ex quibus de morte ejus judicium Chri-
 stianum ferri bene potest. Per annos aliquot vertiginem, debilitatem capitis & membro-
 rum sensit. Medicus hos prodromos & signa apoplexiae intelligens, medicamenta caput &
 nervos confortantia tam interne quam externe praescripsit, quibus etiam a morbo huc-
 jusq; se praeservavit. Sed die tertio hujus mensis ad lustrandam silvam superiorem Aca-
 demicam prope pagum Holtzhausen missus, ex improvilo apoplexia correptus subito mor-
 tuus concidit, annum aetatis quinquagesimum diebus duobus, & horis octo supergressus.
 Sic inter officii sui partes non male mortuus est, qui bene vixit. Corpus ejus hodie hora I.
 Cives Academici, frequentes efferamus, quia id sibi fieri meruit Viri fidele ministerium,
 & in maestissima viduae solarium erit: discamus quoque in hoc funere salubriter, ut, si ve-
 lociter mori nos DEUS voluerit, feliciter & beate moriamur. P. P. Lipsiae, die VIII.

Decembr. Anno Christi c1o lcccIV.

LIPSAE, Literis Müllerianis

MC



F.K. 66.

6.

Ze
1040



Im Jahr...
Magis dominus...
L. 1040



C T O R

MIÆ LIPSIENSIS

d Funus

O M I N I

STOPHORI

IEFFLERI,

demici solertis & fidelis

VIII. Decembr. cl. lcccV.

efferendum

Cives suos

invitat.

